

sit igni, et viro suo dedit pro infirmitate vitanda, A quali pœnitentia sint plectendæ : ut nobis videtur, tali sententia sunt feriendæ, sicut magi et arioli, quia magicam artem exercuisse noscuntur. Nam de his qui magicam artem exercuisse noscuntur, et auguria attendunt, et divinationes observant, Theodori archiepiscopi gentis Anglorum constitutiones habemus, in quibus scriptum est. ^a Qui immolat dæmoniis in minimis, unum annum pœniteat. Qui vero in magnis, decem annis pœniteat. *Rabanus eadem citat ex constitutionibus Theodori, sed quæ integra sic representat in epistola ad Heribaldum.*

Theodori archiepiscopi gentis Anglorum constitutiones habemus, in quibus scriptum est : Qui immolat dæmoniis in minimis unum annum pœniteat. Qui vero in magnis, decem annos pœniteat. ^b Mulier si qua ponit filiam suam supra tectum vel in fornacem pro sanitatem febris, septem annos pœniteat. ^c Qui ardere fecit grana ubi mortuus est homo pro sanitatem viventium et domus, quinque annos pœniteat. Si mulier incantationes vel divinationes fecerit, unum annum vel tres quadragesimas vel quadraginta dies juxta qualitatem culpæ pœniteat. *Vide quoque Rab. lib. III de pœnitentium satisfactione, cap. 48.*

II.

Ex exceptionibus Egberti Eboracensis archiepiscopi.

CAP. LVI. — *Theodorus dicit :* Statutum ut sine auctoritate vel consensu episcoporum presbyteri in quibuslibet ecclesiis non constituantur, nec inde expellantur, et si quis hoc facere tentaverit, synodal sententia feriatur.

CAP. LXVI. *Theodorus dicit.* Monachi non mi-

^a Regino, lib. II, c. 360, 361; Burch., lib. X, c. 13.

^b Bedæ can. *ad remedia peccatorum*, c. 11.

^c Regino, lib. II, cap. 357; Burch., lib. X, cap. 24.

A grant de loco ad locum ; sed in ea permaneant obedientia, quam tempore sue conversionis promiserunt.

III.

Ex Ven. Bedæ canonibus ad remedia peccatorum.

Ex CAP. VIII. *Theodorus dixit.* Monachus faciens ^d fornicationem, et non inveniens, annum unum pœniteat et dimidium. Item monachus faciens cum puella, sex annos pœniteat.

IV.

Ex capitulis selectis canonum Hibernensium, que R. D. Lucas Acherius edidit in Spicileg. tom. IX.

LIB. LII, CAP. 14. — *De morticinis suis, et de animalibus sanguinem humanum sumentibus, et de carnibus comeditis a lupis; de piscibus et strangulatis animalibus; de comeditis ab accipitre, et de equo.* — *Theodorus episcopus dicit :* Græci carnem morticinam non dant porcis suis. ^e Pelles vero morticinorum ad calceamenta et lanam et cornua licent accipi ; sed non in sanctum aliquid. Tamen si casu porci comedant carnem morticinorum, aut sanguinem hominis, non abhiciendos credimus ; nec gallinas æquā modo. Animalia quæ a lupis, sive canibus consumuntur, non comedenda, nisi porcis projiciantur et canibus ; nec cervus, nec aper, si mortui iacent fuerint ; pisces autem licent, qui alterius naturæ sunt. Aves et animalia cætera, si in retibus stragulentur, non sunt comedenda. Paulus enim ait : *Abstinetis vos a suffocato sanguine, et ab idolatria* (Act. XXI, 25). Similiter ab accipitre mortua. Equum non prohibent : tamen consuetudo non est comedere.

^d Quærens, in Pœnit. antiquo Andeg., et in cod. ms. viri cl. Ant. domini d'élHrouval.

^e Ivo, p. XIV, c. 97, ex Pœnit. Th.

FRAGMENTA EX LIBRIS POENITENTIALIBUS.

I.

EX POENITENTIALI ROMANO.

TIT. I, CAP. X. *De illis qui pro vindicta parentum homicidium committunt.*

(Ex Pœnitent. Theodori.)

^a Qui pro vindicta fratris, aut aliorum parentum hominem occiderit, ita pœniteat ut homicidia sponte commissa : cum ipsa Veritas dicat : *Mihi vindictam, et ego retribuam.*

TIT. II, CAP. IV. *De illis qui se scienter perjuraverint.*

(Ex Pœnitentiali Theodori.)

^b Si quis suspicatur quod ad perjurium ducatur, et tamen ex consensu jurat, quadraginta dies pœniteat, et septem sequentes annos, et nunquam sit sine gravi pœnitentia.

^a Regino, l. II, c. 23; Burch., lib. VI, c. 32, Ivo, p. X, c. 16.

^b Rab., in ep. ad Heribald., c. 18; Regino, lib. II,

TIT. III CAP. XXIV. *De his qui fornicati sunt sicut Sodomitæ.*

(Ex Pœnitentiali Theodori.)

^c Si quis fornicatus fuerit, sicut Sodomitæ fecerunt, si episcopus, viginti quinque annos pœniteat : ^D quinque ex his in pane et aqua, ex omni officio deponatur, peregrinando finiat dies vitæ sue. Presbyter quindecim annos pœniteat, quinque ex his in pane et aqua, superiori sententia deponatur. Diaconus et monachus duodecim annos, tres in pane et aqua, et deponatur. *Addit. Ansel.* : Si autem senex, aut æger fuerit, carceribus tenebrosis reclusus pœnitent omnibus diebus vitæ sue.

TIT. III, CAP. XXV. *De eo qui fornicari vult, et non potest.*

^d Si quis concupiscens fornicari, et non potuerit, aut mulier non suscepit eum, si episcopus, septem

c. 326; Burch., l. XII, c. 41; Ivo, p. LXII, c. 68.

^e Ansel., lib. XI, c. 97.

^f Ansel., l. XI, c. 129.

annos poeniteat ; presbyter, quinque ; diaconus vel monachus, tres : ex his unum in pane et aqua ; clerici vel laici, duos annos poeniteant.

CAP. XXIX. Qualiter pœnitere debeat quæ lenocinium operatur.

THEODORUS.

• Exercuisti lenocinium, aut in teipsa, aut in aliis, ita dico, ut tuo meretricio more tuis amatoribus corpus tuum ad tractandum, et ad sordidandum, pro pretio tradidisti : seu, quod crudelius aut periculosis, alienum corpus, filiæ dico vel neptis, et alicujus Christianæ amatoribus vendidisti, vel concessisti, vel internuntia fuisti vel consiliata es, ut stuprum aliquod tali modo perpetraretur, duos annos poeniteas per legitimas ferias. Tamen in concilio Eli-bertano ^b præcipitur, ut illa quæ hæc perpetraverit, nisi in fine, accipiat communionem.

TIT. IV, CAP. IV. De furto per necessitatem perpetrato.

THEODORUS.

• Si quis per necessitatem furatus fuerit cibaria, vel vestem, aut pecus per famem, aut per nuditatem, poeniteat hebdomas tres. Si reddiderit, non cogatur jejunare.

CAP. V. De furto capitali.

• Si quis furtum capitale commiserit, id est, quadrupedia tulerit vel casas effregerit, septem annos poeniteat, et quod furatum est, reddat. Si quis autem de minoribus semel, aut bis furtum fecerit, reddat quod tulit, et anno uno poeniteat. *Addunt Regino et Burch. : vel si quis sepulcrum violaverit, septem annos poeniteat, tres ex his in pane et aqua.*

CAP. XI. Quod ut sacrilegus judicandus est qui patrem vel matrem expulerit.

THEODORUS.

• Si quis patrem vel matrem expulerit, impius et sacrilegus judicandus est. Poeniteat autem æquali tempore, quandiu in impietate illa exstiterit.

CAP. XII. De eadem re.

THEODORUS.

• Maledixisti patri vel matri tuæ, vel flagellasti eos, vel in aliquo de honestasti, quadraginta dies in pane et aqua cum septem sequentibus annis poeniteas, quæa Dominus dixit : *Qui maledicerit patri suo, vel matri, morte moriatur.*

TIT. V, CAP. III. De crapula et ebrietate.

THEODORUS.

• Sacerdos quislibet, si inebriator per ignorantiam, septem dies poeniteat in pane et aqua. Si per negligentiam, quindecim dies ; si per contemptum, quadraginta dies. Diaconus, vel monachus secundum ordinem, ut scriptum est, seu et reliqui clerici ut mi-

^a Burch., l. xix, c. 278.

^b Conc. Eliberit., c. 12.

^c Burch., l. xi, c. 58 ; Ivo, p. xiii, c. 4 ; Ansel., lib. xi, c. 109.

^d Poenit. Rom. ab Halig. exscriptum e scrinio ecclæsæ Rom.; Regino, l. ii, cap. 268; Burch., lib. xi, c. 59

^e Ansel., lib. xi, c. 112.

A nistri juxta ordinem judicio sacerdotis poeniteant. Laici velut vota non habentes, si inebriantur, arguantur a sacerdote, quod ebriosi regnum Dei non possidebunt, et interitus sit ebrietas, et compellat eos pœnitere. Qui cogit hominem ut inebretur, humanitatis gratia acerrime corripiatur, et septem dies poeniteat. Si per contemptum, triginta dies. Nullus Christianus alium plus bibere cogat, quam naturæ sufficiat. Quod si fecerit, juxta id quod in Pœnitentiali habetur, poeniteat.

TIT. VII. CAP. XXX. De illis qui Christiana mancipia captivaverint.

(Ex Pœnitentiali Theodori.)

• Si quis quemcumque hominem quolibet ingenio captivaverit, aut transmiserit, tres annos poeniteat.

CAP. XXXI. De administratione xenodochii.

(Ex Pœnitentiali Theodori.)

• Si quis xenodochia pauperum administrat, vel decimas populi suscepit, et exinde vel suis sacerularibus lucris sectandum aliquid subtraxerit, quasi rerum invasor reus damnum restituat, et sub canonico judicio reformatur, et agat pœnitentiam tres annos. Scriptum est enim : *Talem Dominus dispensatorem querit, qui sibi de suis nihil usurpet.*

TIT. VIII, CAP. XI. Nubentes post votum non sunt ab invicem separandi.

THEODORUS.

Si vir votum i virginitatis habens adjungitur uxori, postea non dimittat uxorem, sed tribus annis poeniteat.

II.

EX POENITENTIALI RABANI MAURI.

ARCHIEPISCOPI MOGUNTINENSIS.

LIB. III, CAP. VI. De pœnitentiis laicorum.

Item in pœnitentia, quam Theodorus archiepiscopus Britanniæ cum cæteris episcopis constituit, ita continetur : Si homo vexatus est a diabolo, et nescit aliquid nisi ubique discurrere, et occidit semetipsum quacunque causa, prodest ut oretur pro eo, si ante religiosus erat ; si pro desperatione, aut pro timore aliquo, aut pro causis incognitis, Deo relinquimus hoc judicium, et non ausi sumus pro eo orare, qui semetipsum occiderit propria sua voluntate. Missas pro eo facere non licet, sed tantum orare, et eleemosynas largiri, si quis Christianus subita tentatione mente sua exciderit, vel per insaniam semetipsum occiderit, quidam pro eo missas faciunt. Item in eodem libro : Si quis pro ultione propinquus hominem occiderit, poeniteat sicut homicida septem vel decem annos ; si tamen reddere vult propinquis pecuniam estimationis levior erit pœnitentia ejus, id est, dimidio spatio. Qui occiderit hominem pro

^f Burch., l. xix, c. 270.

^g Burch., l. xiv, cap. 8 ; Ivo, p. xiii, c. 76

^h Burch., l. v, c. 49 ; Ivo, p. xv, c. 149.

ⁱ Burch., l. v, c. 159 ; Ivo, p. xv, c. 149.

^j Apud Grat. (*Decr.* p. i, dist. 27, c. 3) additur, simplex, sed abest vox ista ab omnibus cod. mss., et infra 27, q. 1, c. Si quis votum, etiam ab impressis, ut animadverunt correct. Grat.

vindicta fratri, tribus annis pœnitentia. In alio loco decem annos dicitur pœnitentia; homicida autem decem vel septem annos. Si laicus alterum occiderit odii meditatione, si non vult arma relinquere, pœnitentiam septem annorum, sine carne et vino tres annos. Si quis occiderit monachum vel clericum, artem relinquat, et Deo serviat, et septem annos pœnitentia, quod in judicio episcopi est. Qui presbyterum occiderit, duodecim annorum ei pœnitentia secundum canones imponatur; aut si negaverit, si liber est, cum duodecim juret. Si autem servus per duodecim voceres ferventes se purget, convictus poena usque ad ultimum vitæ tempus militiae cingulum deponat, et uxorem amittat. Qui per jussionem Domini sui occiderit hominem, quadraginta dies pœnitentia, et qui occiderit hominem, quadraginta die-

Abus se abstineat ab Ecclesia, et qui occiderit hominem in publico bello, quadraginta diebus pœnitentia; si per iram, tres annos; si causa, uno anno; si per populum vel per artem aliquam, septem annos, aut plus; si per rixam, decem annos pœnitentia. Si quis maleficio suo aliquem perdidit, quinque annos pœnitentia, duos ex his in pane et aqua. Si quis per amorem veneficus sit, et neminem perdidit, si clericus est, unum annum pœnitentia in pane et aqua; si sacerdos quinque, duo ex his in pane et aqua. Si diaconus tres annos, unum ex his in pane et aqua, et laicus dimidium annum pœnitentia: maxime si per hoc mulieris partum quisque deceperit, tres annos unusquisque superaugeat in pane et aqua, ne bondi cidi reus sit.

FRAGMENTA EX COLLECTORIBUS CANONUM.

I.

EX LIBRIS II REGINONIS DE ECCLESIASTICIS DISCIPLINIS.^a

DE SUSCIPENDA CONFESSIONE.

(Ex Theodori archiepiscopi vel Bedæ presbyteri Pœnitentiali.)

LIB. I., CAP. CCXCVI. ^b Episcopi vel presbyteri, quando fidelium recipiunt confessiones, humiliarse debent, et cum tristitia gemitu lacrymisque orare, non solum pro suis delictis, sed etiam pro fratribus casu. Ait enim Apostolus: *Quis infirmatur, et ego non infirmor (II Cor. x.)?*

Unde supra.

CAP. CCXC VIII. ^c Cum ergo venerit aliquis ad sacerdotem confiteri peccata sua, mandet ei sacerdos ut exspectet inodicum, donec intret ecclesiam, aut cubiculum suum ad orationem. Si autem non est locus aptus ad hoc, dicat hanc orationem in corde suo.

ORATIO.

CAP. CCXCIX. ^d Domine Deus omnipotens, propitius esto mihi peccatori, ut condigne tibi possim gratias agere, qui me indignum propter tuam misericordiam ministrum fecisti officii sacerdotalis, et me exiguum humilemque mediatorem constituisti ad orandum et intercedendum ad Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum pro peccantibus et ad pœnitentiam revertentibus. Ideoque dominator Domine, qui omnes homines vis salvos fieri et ad agni-

^a Hos vir eruditissimus Balezius ad fidem vetustissimi codicis accurate emendavit.

^b Halig., in pref. l. vi.; Burch., l. xix, c. 2.

^c Halig., ibid.; Burch., l. xix, c. 2.

^d Halig., ibid.; Burch., ibid. c. 3.

^e Hic locus sic se habet in veteri codice ms. monasterii Rivipullensis: ^f Videns autem ille frater, qui ad pœnitentiam venit, hanc sacerdotis humilita-

tionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, sed ut convertantur et vivant, assicpe orationem meam, quam fundo ante conspectum clementissime pro famulis et famulabus tuis qui ad pœnitentiam venerunt, ut des illis spiritum compunctionis, ut recipiant a diaboli laqueis, a quo astricii levantur, et ad te per condignam satisfactionem revertantur per euandem Dominum.

Videns autem ille qui ad pœnitentiam venit sacerdotem tristem et lacrymantem pro suis facinoribus, magis ipse timore Dei pereculsus amplius tristetur et exhorrescat peccata sua ^g.

ORDO AD PANDAM POENITENTIAM.

Unde supra.

CAP. CCC. ^f Post haec interroga eum blande latiterque. Credis in Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum? Resp. Credo. — Credis quod iste tres personæ unus Deus sit? Resp. Credo. — Credis quod in ipsa ista carne, in qua nunc es, in ipso resurgere habes in die judicij et reipero sive bonum sive malum quod gessisti? Credo. — Vis dimittere illis peccata qui in te peccaverunt, Domino dicente: *Si non remiseritis hominibus peccata eorum, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra (Matth. vi).* Resp. Volo. — Et require ab eo diligenter si est incestuosus, aut suo seniori infidelis. Et si non vult incestum dimittere, non potes ei dare pœnitentiam. Si autem vult, potes. His premissis, pœnitentem aliqui affectuose debet sacerdos his verbis:

tem, magis peccata sua exhorrescit, magis sceleris sua pertimescit. Post haec charitable sacerdos eum suscipiat, humiliter eum sedere faciat secum, blande eum hujusmodi sermonibus attrahat: Frater, non erubescas confiteri peccata tua.

^g Burch., ibid. Vide librum antiquum Pœnitentialem Andegavensem editum a J. Morino, in appendice lib. de Pœnit.